

ejus, ut sunt vita Christi in quatuor Evangeliiis, & gesta Apostolorum in eorum Actis con-

rali producere species intentionales, nec phantasmata in homine, bene tamen, ut Dei

QUESTIO VII.

Quomodo alta mysteria, quae in hoc Apocalypseos libro continentur, revelantur Joanni, ea ipse vidit, cognovit, ac audivit?

CERTUM est, ad omnem cognitionem revelatam, sicut ad omnem aliam, duo maximè requiri. Unum ex parte objecti ad apprehensionem ejus, scilicet species; aliud ex parte potentiae, ad iudicium, nempe lumen, aut aliquid simile. Et utrumque sine dubio necessarium est in cognitione revelata, ut fuit in Prophetis. D. Thomas 2. 2. quaest. 173. art. 2. docet optimè, varios esse modos revelationum Prophetiarum; & ad omnes, ait, necessarias esse species; quia nulla conceptio mentis fit sine illis.

Advertendum tamen est, quòd revelatio facta Prophetis, ac viris Apostolicis primitivae Ecclesiae, communiter facta est à deo immediate, qui potuit novas species intelligibiles in mente, novaque phantasmata in phantasia producere; at revelatio nostro Joanni facta est immediate ab Angelo, ut impletur testatur statim exordio: Apocalypsis Jesu Christi mittens per Angelum suum servo suo Joanni.

Angelus autem non valet, virtute sua natu-

42. Quid necessarium ad cognitionem.

D. Thom.

43. Revelatio facta Joanni per Angelum.

44.

Suar.

Quomodo beatus Angelus illuminat.

D. Thom.

D. August. Caeteran. Capreol. D. Bonav. Durand. Argentin. Richard. Argent. Richard. Scot.

45.

Quomodo Joannes vidit haec mysteria.

S. Brigitta.

Suar.



CAPUT PRIMUM APOCALIPSEOS.

CAPITIS ARGUMENTUM.

TOTUM caput tripartitur. In prima parte usque ad versum 4. ponitur Titulus libri, ejusque majestas, ac excellentia. In secunda parte usque ad versum 8. apponitur salutatio ad Ecclesiam Asiae, quibus predicaverat, simulque inseritur honorifica Christi commemoratio. In tertia à vers. 9. usque ad finem declaratur valde gloriosa prima Christi apparitio in medio septem candelabrorum aureorum, quibus septem Ecclesiarum Asiae significantur Episcopi, ad quos Dominus loquitur.

Apocalyp. 1. n. 1. Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere, servis suis, quae oportet fieri cito, & significavit mittens per Angelum suum servo suo Joanni.

VERSIONES.

Syrus. Revelatio Jesu Christi quam dedit illi Deus, ad indicandum servis suis, & manifestavit, quam misit per Angelum suum.

Pagnin. Revelatio Jesu, quam dedit illi Deus, ut ostenderet.

Arabicus. Quodque dedit illi Deus ut revelaret servis suis quidquid futuris saeculis oportet fieri, signatum ab eo, missum per Angelum suum.

Indicare servis suis. Quae oportet fieri in celeritate, & sigillavit mittens per Angelum suum.

Tygrina, Vatablus. Significavit emissio per Angelum suum mandato.

EXPOSITIO I.

APOCALYPSIS Jesu Christi. Joannes incipit hanc praedictarum librum propheticum, more Prophetarum, qui initio, ut auctoritatem verbis suis conciliant nomen suum indicant, & à quo prophetiam acceperint: nempe non ab invento humano, sed à divino afflatu provenisse. Visio Isaiae filii Amos. Et statim: Dominus locutus est. Isai. 1. num. 2. Factum est Verbum Domini ad eum, scilicet Jerem. 1. n. Ezech. 1. Osee. 1. Joel. 1. 2. Factum est Verbum Domini ad Ezechiel. 1. num. 7 sic & Osee. 1. num. 1. Joel. 1. num. 1. & sic de caeteris. At noster Joannes sublimius, & altius inchoat; ait enim: Apocalypsis Jesu Christi. Hoc est, revelatio facta non puro homini, sed Jesu Christo vero filio Dei; quam dedit ei deus Pater, & ipse Jesus Christus revelavit eam Joanni, non immediate per se ipsum, sed per Angelum. Significavit mittens per Angelum suum, servo suo Joanni. Apertè indicat Joannes, à quo hanc prophetiam acceperit.

Apocalypsis. Vox Graeca est, idem valens, ac revelatio; subintelligitur, haec est, apud Hebraeos enim communiter hujusmodi particulae suppletur: Ut visio Isaiae filii Amos. Intelligitur, haec est visio Jesu Christi: indicat Evangelista, cui facta est haec revelatio, à quo ipse eam accepit. Quam dedit illi Deus. Scilicet Christo, ut homini. In primo instanti suae Incarnationis, à quo Christus fuit plenus omni scientia, & gratia, ei Pater revelavit, & aperuit omnia futura, non anigmaticè, sed palam, & distinctè Pater enim clare, & manifestè loquitur filio suo omnia. Palam facere servis suis: id est; ut palam faceret; palam facere, Graecorum phrasus est, idem valens, ac ad faciendum, seu, ut faciat. Luc. 1. Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris. In Graeco est, facere misericordiam; ac proinde palam facere, idem est, ac ut palam faceret servis suis. Nempe fidelibus, ac Christianis.



3. Quae oportet fieri cito. Non quia omne tempus hujus vitae, comparatum cum aeternitate; parvum, & momentaneum sit, ut multi sic interpretantur, sed quia in apocalypsi futuri eventus Ecclesiae continentur usque ad finem mundi: ac proinde per cito, quamvis non cito finiantur. deouantur hic vari successus, ac persecutio es Ecclesiae, quae statim post Joannis aetatem ceperunt sub Traiano Imperatore, & perdurabant usque ad finem mundi, nam hic praedicuntur multa, quae ad Antichristum pertinent.

4. Es significavit. Verbum Graecum anceps est, idem videlicet ac signare, seu sigillo obfirmare; ac etiam denotare, seu significare. In primo sensu interpretantur verbum Rupertus, Ansberr. & alii apud Ganeum. Et quod idem sit hoc loco, sigillo obfirmavit mittens per Angelum suum. Tamen hoc aperte repugnat cum his, quae immediate antea dicuntur, palam facere: & in fine hujus libri cap. 22, num. 10, dicitur Joanni: Ne signaveris verba prophetiae hujus. Recte ergo noster interpres posuit, significavit, hoc est. ind. cavit, seu declaravit palam, & manifeste, licet non omnibus, sed ipsi Joanni, ac aliquibus servis suis. Mittens per Angelum suum, deus enim, ac Christus dominus verus ejus filius per angelos solet homines docere, ac illuminare, sic ordinari deus loquebatur ad Isaiam, Jeremiam, aliosque Prophetas. Servo suo Joanni. Non dicitur Evangelista, vel apostolus, sed servus, pro sua humilitate; in quo etiam indicatur magna dignitas servi dei.

5. Apocalypsis ergo primo revelata est animae Christi clare, & manifeste in primo instanti Incarnationis eius, eique soli, & non Angelis, nec Prophetis: fuerunt enim haec mysteria a deo in Christo abscondita, ut loquitur Paulus Ephes. 5. n. 3. Ad Christi officium spectabat, praescire omnia, quae suis fidelibus, ac toti ejus Ecclesiae erant necessaria: Christus etiam aperte revelavit, Angelo? Angelus etiam clare Joanni Joannes vero scripsit omnia prout representata, ac objecta fuerunt Ita communiter interpretes Alcazar, Cornelius à Lapide, M. Joannes de la Haye, & alii.

QUESTIO I.

Quare nomen Graecum Apocalypseos retinetur in nostra vulgata Latina?

6. Totus hic liber Graeco idiomate scriptus est, ex Graecae origine prodit, sola tamen nominis appellatio intacta relinquitur apud Latinos, cum facile potuerit transferri: nam apocalypsis idem valet, ac revelatio mysteriorum.

7. Respondet primo, & genuine Rupertus Abbas hic: Sola appellatio, ait, patet intacta permansit, videlicet, ob excellentiam rerum, sive mysteriorum, quae hac scriptura comprehendit: sic Alleluia, sic Amen Hebraea vocabula ob dignitatem sensum in Graecis, & Latinis literis manserunt: sic Evangelium in Latinis codicibus

Apocalypsis in est revelatio.

Rupertus in magna revelatione habentia.

de Graeco reservatum est. Ob magnam venerationem, ac cultum mysteriorum; quae in hoc volumine habentur, liber apocalypsis dicitur quo enim res est magis abscondita, in majori cultu, ac veneratione habetur.

Secundo. Alto Spiritus sancti instinctu nomen Graecum apocalypseos retinetur cum facile revelatio transferri possit. Hic liber Graeco sermone scriptus est à Joanne: ut ergo gratum, ac memorem animam haberemus illi idiomatici, à quo tam alta, & sublimia mysteria accepimus, ideo in fronte ipsum nomen Graecum retinetur.

Tertio. Universalis Ecclesia sancta dei omnium mater universas terrarum orbis nationes complectitur: inde merito tres communiores linguae eliguntur ad res sacras, ut omnium unio sub eadem fide & religione maxime conexa sit, quod peculiariter visitur in hoc libro: nam lingua Hebraica in voce Amen, Alleluia: Graeca in titulo Latina in toto contextu libri, qui maxime dirigebatur ad omnes gentes, ut omnes sub eadem Christi fide continentur, & ut etiam praecipuae nationum linguae tanto mysteriorum libro nobilitarentur. Vide quae dixi tom. 5. in Evang. lib. 8. cap. 4. q. 7.

Haec duae ultimae rationes valde morales sunt: tamen prima Rupertus est genuina: Ponitur titulus in Graeco ob magnam mysteriorum excellentiam, quae in hoc libro scribantur: ex quo ait Gilbertus in Prologo. Alii scilicet Prophetis, univariis, ista trifaria data est prophetia a simul solitae de praeterito, & praesenti, & futuro ad cuius confirmandam auctoritatem, concurrunt etiam auctoritas veteris, scilicet Trinitatis; & de ferentis, scilicet Angelus, & accipientis, scilicet Joannis Cardinalis Aureolus Apocalypsis, ait, est revelatio non quaecumque, sed summa authentica, quod apparet per auctoritatem in qua tunc personarum, quae inducuntur Jesu Christi, Dei patris, & Joannis, & Angeli, dignitas, ac excellentia hujus libri maxime consideranda est ex quatuor supremis personis, quae in eo introducuntur. Primo Jesus Christus, Apocalypsis seu revelatio Jesu Christi. Secundo deus Pater revelans, quae dedit illi Deus. Tertio Angelus, qui est unus ex supremis, mittens per Angelum suum. Quarto Joannes, cui Angelus hanc Apocalypsim defert, quam Joannes scribens mittit ad Episcopos Asiae.

Ex quo eminentiam hujus libri maxime meditari Joachimus Abbas c. 1. Prologi: magna est, ait, & singularis hujus voluminis prerogativa, quia magnus est Dei spiritus, qui in eo aperitur, quia voces suas, nec mirum, si à Cameronio scribitur, cui recumbenti supra pectus Domini rucana seculari mysteria, & de torrente spiritus sancti abundantius bibere, datum est, ut in specialius completum probaret, quod ipse generalis promissione, & ore veritatis processisset, testatus est dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; & flumina de ventre ejus fluent aquae vitae Jo. 7. n. 38. Quid aliud intelligendam esse dicimus, quod se Christi dilectum Joannes ipse commemorat, nisi ut gratiarum fluenta abundantius se de peccatore Christi exhaustis restituit: quod ergo ipse bibit, hoc tandem propinavit electis. Quid de libri hujus prerogativa dixerim in quo cael. his fluminis impetus laetificat civitatem Dei septem meam plenitudine, ad irrigandam omnem terram abundantius

Grati sumus ei, à quo accepimus.

Fideles in unione conserventur.

10.

Gilbertus.

Aureolus Nobilitas Apocalypsis ex personis, quae in ea introducuntur.

1. Achim.

Multa excellentia Apocalypsis.

dantius nobis his diebus ex ventre Joannis profuxit.

QUESTIO II

Quare sanctissimum nomen, Iesus, in prima fronte hujus libri apponitur.

12. Dicendum videbatur, Apocalypsis Christi; Ad quid additur, Iesus: Iesu Christi. Christus idem est, ac unctus; nam etiam alii Reges, ac Sacerdotes uncti essent unctio materiali, at noster Salvator unctus est tota Spiritus sancti plenitudine, unde dicitur. Plalm. 44. num. 8. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus tuus oleo letitiae praesentibus tuis. Noster Salvator non solum in se unctus est Spiritus sancti plenitudine, sed etiam per ejusdem Spiritus sancti participationem electos suos ungit. Cum ergo Christus absolute dicitur, nostrum Salvatorem denotet; ad quid insuper additur Iesus: Merito sanè; nam Christus, id est Rex, & saepe dominus, Rex introductus in hoc libro: Rex Regum Dominus Dominantium. Ie. us idem valet ac Salvator, ut notum sit, quantum distet noster divinus Rex à terrenis regibus, dicitur Christus Iesus. Quia terreni sunt Reges, ut perimant, & occidant: at noster divinus Rex, Rex dicitur, ut vivificet, salvet, ac in vitam aeternam perducat.

Christus verus Rex, qui nos salvat.

D. Bernardus Nomen Iesu lux ad omnem doctrinam.

Bisunt Psal. 126.

Tertio. Multis aliis verbis potuit hic liber inchoari, ut si diceretur Apocalypsis, seu revelatio eorum, quae futura sunt in novissimis diebus; seu revelatio eorum, quae mittuntur ad Episcopos Asiae, tamen à nomine Jesu hunc librum Joannes inchoat, ut nos doceat, quod ab hoc sanctissimo nomine initium scribendi debemus sumere. Divus Bernardus serm. 15. in Cantica; ubi postquam multa loquitur de hoc altissimo nomine, sic scribit: Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus, si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Ex quo Episcopus Bisuntinus exponens illud Psalm. 126 num. 2. Vanum est vobis ante lucem surgere. Per hanc lucem intelligit Iesum, de quo Joannes ait: Et lux in tenebris lucet. Sic ait cit. Episcopus, unde omnis lux, & omnis splendor exoritur, ante hanc altam lucem, scilicet Iesum, vanum est vobis surgere ad studia, opera, ad lectiones, ad descriptiones fidei, reliquorum, morum, doctrinarum.

Quarto Apocalypsis prophetia est de re valde occultis, & absconditis; ut dixi q. 6. omiali, & tamen dicitur, Revelatio Jesu Christi, quam dedit ei Deus palam facere. Si tam abdita & abscondita sunt mysteria, ut dicitur hic liber; Abyssus mysteriorum: quomodo dicitur, eorum revelatio: nam quae revelantur, manifestantur, ac aperiuntur. Ponitur in fronte nomen Iesus, & ubi hoc nomen apparet tenebras depellit, obscuritatem removet, omnia illustrat, ac in fulgentissima luce prodire facit; cum convenissent ministri Judaeorum, ut comprehenderent Iesum, processit dominus eis obviam, dicens: Quem quaeritis? Responderunt ei Iesum Nazarenum. Dicit

eis Iesus: Ego sum. Joan. 18. num. 5. Ecce impii, & iniquis hominibus manifestabatur totum deitatis sacramentum, illis verbis: Ego sum. Exod. 3. Moyse maxime cupienti, scire deitatis nomen hoc illi dictum est, Ego sum. Mysterium, quod ergo à saeculo erat absconditum, & uni Moyse fidelissimo servo aliquando revelatum est, hoc impiis hominibus manifestatur: Ex quo in eorum ore insonuit nomen Iesus, statim abdita mysteria referantur, ac ab vi nominis Jesu de-eguntur, Rupertus lib. 13. Dixit, Ego sum, quod Verbum substantivissimum de se ipso verissime protestatur ille solus, qui & ad Moysen dicit: Ego sum, qui sum; & quamvis cum laternis, & facibus nullatenus Divinitatis essentiam quaerent, opportunè tamen respondit Deus dicens: Ego sum, non ad ipsorum inventionem, sed ad suum nomen respiciens. Interrogati enim, quid quaerent, responderunt: Ego sum Nazarenum.

Quinto. Alto Divinae Sapientiae consilio factum est, ut in exordio huius libri sanctum nomen Iesus apponeretur: nam totus hic inber propheta est, praedicans sapientes tyrannorum persecutiones, ac adversitates contra Dei electos, crudelissimum Antichristi bellum contra Ecclesiam, ac filios ejus; multa quoque eorum millia variis tormentis occisa indeque Sanctissimum Jesu nomen nobis designat pro ingenti levamine, consolatione, fortitudine, ac armatura. Ait Paulus ad Ephes. 6. n. 11. Induite vos armaturam Dei ut p. stis, stare ad versus insidias diaboli. Quae verba explicans D. Athanasius q. 13. sic legit: Totam armaturam Dei. Et in quo est nobis tota dei armatura contra universas diaboli insidias, in uno nempe Christo Jesu. D. Hieron sic loquitur. Induite vos omnia arma Dei. Quae autem alia Dei arma possumus existimare, quibus induendus est, qui habet adversus diaboli dimicare versutias, excepta virtute, quae Christus Iesus est?

Inermis David processit adversus Philisthaum cui ait: Tu venis ad me cum gladio, hasta, & clypeo, ego autem venio ad te, in nomine Domini 1. Reg. 17. n. 45. expende, quae arma opponebat David gladiis, & hastis, clypeo, ac ingenti moli corporis Philisthaei, unum nimirum nomen domini, sciebat enim illud pro inexpugnabili armatura esse viris iustis. Sic fatur Josephus lib. 6. de antiquit. c. 1. Tu me in vadis hasta tua confisus, & thorace, & gladio: mihi vero pro armatura Deus est, qui te ac tuum exercitum nostris manibus hodie deleturus est. Expende illud: mihi pro armatura, ut se tutissimum servaret.

Dicebat David Psalm. 117. n. 11. Circumderunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis; & in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Undique hostibus erat vallatus, ut vallari solet fagus, examinibus aculeatis apum; insuper hostium ignita ira flammabat, ut fortissimum quemque, tanquam vilem stipulum absumeret; quibusnam armis evadet homo de tam conglomerato vallo, de tanto hostium furrore: subdit David: In nomine Domini, quia ultus sum in eos: Uno dei nomine protectus, resistit omnes hostiles rabies, Ibi d. Chrysol. Tanquam ignis, ait, accurrebant; tanquam apes, cum magna animi alacritate invadebant intus interceptum

Joan. 12.

Exod. 3.

Rupertus.

Iesu nomen nostra protectio, ac armatura.

Ephes. 6.

Athanasius.

D. Hieron.

1. Reg. 17. Dei nomen armatura viri iusti.

Josephus.

17. Psal. 117.

Iesu nomen omnes adversitates expellit.